

quisivisse primatum; Richerius vero in libro *De ecclesiastica et politica potestate*, an 1611 in lucem edito, contendit, claves seu jurisdictionis potestatem uni et soli Ecclesiae, cœtui scilicet credentium, immediate a Christo datam fuisse, Petro vero et apostolis, ac eorum successoribus episcopis *mediate*, hoc est per Ecclesiam, concessam esse, opinatur. Hinc enim Romanum Pontificem, ac episcopos omnes ita Ecclesiae ministros statuit, ut potestas, et jurisdictio penes Ecclesiam sit, ministerium vero, seu jurisdictionis exercitium penes illos, qui sunt veluti instrumenta, per quæ *stram* Ecclesia potestatem exercet. Damnatum illico fuit Richerianum systema in Gallia, et ab Apostolica Sede, atque auctor palinodiam cecinit. Quæ supra sunt a nobis exposita, aperte Photianos et Richerium confutant. Nam Romanus Pontifex primatum exercuit in Ecclesia etiam antequam imperatores Romanos Pontifices favoribus prosequerentur, ab ipso quoque persecutionis tempore, ut de Victore, Stephano, aliisque primorum etiam sæculorum Pontificibus liquet, atque hujusmodi primatum tribuere Patres et concilia Romano Pontifici, ac vindicare semper sibi Petri successores, ut supra probavimus, non quia in urbe regia essent, sed quod Petri Sedem occuparent et jus in se Petro a Christo collatum suscepissent. Nec video, qua fronte potuerit Richerius asserere, non Petro immediate, sed Ecclesiae, ac per Ecclesiam Petro collatam potestatem et jurisdictionem fuisse. Nam Christus Dominus Petro dixit: *Tibi dabo claves*, etc. *Quodcumque ligaveris*, etc. *Pasce oves*, *Pasce agnos meos*, etc. Et Ecclesia semper professæ est, divino a Christo constituto jure Petri potestatem in ipsius successores descendere, ac Deum esse, qui designato per electionem Petri successore, eidem promissam per Christum potestatem confert. Id sane innunt Patrum et conciliorum, quæ quinto Ecclesiae sæculo fuere celebrata, verba supra a nobis relata. Hinc concilium Florentinum antiqua concilia universæ Ecclesiae secutum, ita rem definiit: «*Definimus, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum caput et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.*»

X. Hactenus contra hæreticos, ac damnatas ab Ecclesia sententias disputavimus. Agendum nunc est cum Gallis theologis, quorum opinio nullo Ecclesiae iudicio damnata est, ac salva fidei unitate defenditur.

(185) Quas fusius confutatas invenies ab emin. Antiferonio.

Clerus Gallicanus in conventa Parisiis habito an. 1681. «*Romanus Pontifex, inquit, caput est Ecclesiae, centrum unitatis: obtinet ille in nos primatum auctoritatis et jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona S. Petri collatum: qui ab hac unitate dissentiret schismaticus, imo et hæreticus esset.*» Et in declaratione facta an. 1682 ita idem clerus loquitur: «*In fidei questionibus præcipuè Romani Pontificis partes sunt, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinent.*» At in hac declaratione, quatuor posuere propositiones, quæ certis limitibus Pontificiam auctoritatem circumscribunt; aiunt enim: 1° Non esse Romanum Pontificem supra generale concilium; 2° decreta ipsius ad fidem pertinentia infallibilia non esse, dum nullus accedat Ecclesiae consensus; 3° auctoritatem et jurisdictionem ipsius obligare omnes omnino, dum canonicas leges servari jubeat, sed novas leges condendo, non astringere omnes, nisi Ecclesiae consensus accedat; 4° neque directam, neque indirectam potestatem habere in bona temporalia, ac temporales principum subditos. — Hujusmodi propositiones damnatæ ab Ecclesia non sunt, imo veluti fideles Romanæ Ecclesiae filii illarum assertores habentur, qui sese paratos exhibent ad obtemperandum Romano Pontifici, atque veluti supremum a Christo rectorem constitutum eum venerantur. Alphonsus vero Turretinus pyrrhonismi insinuat catholicam Ecclesiam ob hujusmodi Gallos inter aliosque theologos dissidium, circa subjectum infallibilitatis Ecclesiae. At ubinam pyrrhonismus est? Utrique conveniunt, hanc prærogativam Ecclesiae concessam esse; Galli fatentur decreta Romani Pontificis ad fidem pertinentia, ad universam Ecclesiam pertinere, maximam venerationem mereri, ac revocari in dubium non posse sine temeritate, tum ob maximam quam sibi vindicat Apostolica Sedes auctoritatem, tum etiam quia dum nunquam hæc erraverit, veluti peculiari assistentia prædita nobis exhibetur: constat denique indubiam fidem facere definitionem Romani Pontificis, dum aliquis Ecclesiae consensus accedat ex Gallorum confessione. Constat ergo de infallibili Ecclesiae iudice. Nec disputatio illa de concilio Pontifici superiore, hanc dubitationem ingerit, cum Galli quoque consentiant convocandi concilia generalia, ac in iis præsidendi jus esse penes Romanum Pontificem, qui visibile Ecclesiae caput, ac supremus rector et doctor est. Sed de his satis.

XI. Venio nunc ad expendendas quatuor supra indicatas propositiones (183). Principio vero advertendum est, opinionem quæ Romanum Pontificem concilio inferiori asserit, ortam esse tempore diuturni schismatis, quod circa finem quarti decimi sæculi in Ecclesia Romana fuit, quo quidem tempore, cum plures, iique dubii Romani Pontifices essent, affirmare theologo cepe-

Orsio, a Petro Ballerino, et a Zaccaria in utroque

runt subjectos illos fuisse generali concilio, cujus unice iudicio schisma illud auferri posse censebant; ubi vero certo constet de Petri successore, nunquam ab antiquis theologis, Patribus atque conciliis assertum legimus hunc concilio subjectum esse; imo constat præfuisse semper saltem per suos legatos conciliis, atque in conciliis Ephesino et Chalcedonensi veluti Christi vicarium agniti fuisse ab universa Ecclesia ibidem congregata jure divino superioriorem. Nec diverso modo sentire Patres potuere, dum antiquorum fidem, ac traditam a Christo Petro potestatem profiterentur. Petro enim jus in omnes Christi oves, atque in fideles omnes concessum fuit, ut nos supra ostendimus: ergo in omnes episcopos. Scriptura vero, atque antiqui Patres nunquam distinguunt inter separatos et congregatos pastores; ergo jus illud, quod in omnes extenditur separatim existentes episcopos, viget etiam dum isti sunt in concilio congregati; ergo ut episcopi singuli subditi sunt Romano Pontifici, ita eorum concilium. Vide hac de re celebre eminentiss. cardinalis Orsi, *De Romano Pontifici*, opus, tomum V *Orig. ecclesiast.* P. Machi et alios auctores (184). Deinde jus pascendi et clavium potestas Petro tradita conjunctam habet auctoritatem condendi leges, quæ fideles obligent; ex hoc enim jure deducimus, potestatem in Ecclesia reperiri ferendi leges, ut nos in aliis articulis ostendimus, et nullibi legitur in Scripturis, leges per Romanum Pontificem latas vim obligandi ab aliorum consensu accipere; omnes enim ad Romanum Pontificem comparati, Christi oves dicuntur ac subditi ipsius revera sunt; quis vero dicat ex subditi confessione pendere vim præcepti a superiore lati, vel ab ovium acceptatione vim pendere Pastoris imperii? At inquirunt etiam alii apostolorum successoribus jus pascendi concessum fuisse. Assentior. At hoc non obstante jure, subditi constituti sunt Christi vicario et ad hunc comparati ovium nomine a Christo designantur: ergo sicut episcopi ferentes leges in sua diocesi, non pendent a consensu inferiorum ministrorum et plebis, ut subditos obligent, ita Romani Pontificis leges expectare non debent episcoporum consensum ut obligandi vim in universa Ecclesia habeant. Disputandum quoque esset de indirecta in subditos principum potestate, de qua plura scripsit ex ordine meo, Joann. Anton. Bianchi in opere *contra Petrum Gannonem*, sed hanc controversiæ partem omitimus, cum ad rem hanc sufficere videantur, quæ in articulo de Papa ab auctore exposita sunt. Nec sane video qua ratione theologo Christianos principes ab hac liberare potestate possint. Si enim sunt ipsi Christi oves ac oves Christi iudem eorumdem subditi, utique ergo obedire tenentur

(184) Peculiarem hanc de suprema Romani Pontificis in ipsa generalia concilia potestate propositionem egregie confirmavit doctiss. Joannes Vincen-

Romano Pontifici, dum se ut Christi vicarium gerat; ergo Pontifex ea poterit adhibere media, quæ ad contumaciam vincendam et ad Ecclesiae perduelles puniendos, Ecclesiae concessa sunt. Per hæc vero indirectam illam auctoritatem exercere quandoque poterit, de qua disceptatur.

XII. Expendamus modo questionem de infallibilitate. In hac sane Galli theologi majores suos deserunt, nec sibi consentanei videntur. Duas tantum afferam solennes Gallorum declarationes, quarum prima facta fuit sub Ludovico XI anno 1461, in qua senatus Parisiensis ita ore clarissimi DD. Loselier loquitur: «*Protestatur curia Vestrae Majestati, se nullo modo propter quæcunque inferius dicenda, excellentiæ, sanctitati, dignitati, honori et auctoritati sancti Patris Papæ sanctæque Sedis Apostolicæ derogare; sed econtra ei honorem, reverentiam et obedientiam, quam omnes boni fideles catholici supremo Ecclesiae Pastori præstare tenentur. Protestans insuper, si quid dictum factumque a se fuerit, quod correctione egeat, istud totum velle se omnino Ecclesiae sanctæ, Apostolicæ et Romanæ determinationi submittere, quæ errare non potest,*» juxta canon. *Recta 24*, quæst. 1. Præterea Universitas Parisiensis coram Clemente VII perorante Petro de Alliaco magno regni Navarrae moderatore, tum cardinale eminentissimo, circa prærogativam Romani Pontificis et Apostolicæ Sedis mentem ac sententiam declaravit his verbis: «*Hæc est fides, beatissime Pater, quam in catholica Ecclesia didicimus, in qua si minus perite ac parum caute forte aliquid positum est, emendari petimus a te, qui Petri fidem et sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissime tenemus et nullatenus dubitamus, quod S. Sedes Apostolica est illa cathedra Petri, super quam fundata est Ecclesia.... De qua Sede in persona Petri apostoli in ea sedentis dictum est: *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei, et approbatio veritatis catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maxime pertinet.» Nunc ita: Qui ait Romanum Pontificem errare non posse et ad ipsum spectare verba hæc Christi Domini: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, Romanum Pontificem, secluso aliorum episcoporum consensu, infallibilem decernit in fidei decretis: id vero asseritur in duabus supra expositis declarationibus, quarum altera senatus Parisiensis, altera universitatis est. Ex quo colligere possumus, communem fuisse etiam apud theologos et canonistas Galliarum, sententiam, quæ inerrantiæ privilegium Romano Pontifici adjudicat, antequam solemniter illo decreto an. 1682, ad quatuor defendendas cleri Gallicani propositiones astringerentur. Quæ quidem res a pluribus nostris theologis demonstrata fuit. Neque aliter,*

tius Bolgeni in egregio libro, quem prænotavit: *Esame della vera idea della S. Sede*; Macerata, 1715, pag. 402 seqq.

dempto partium studio, decerni posse videtur. Nam si Romanus Pontifex constitutus a Christo est caput totius Ecclesiae, Romano Pontifici concessa fuit potestas clavium et ligandi, atque solvendi, eidem ovium Christi cura demandata. Rursus, si omnes fideles subditi sunt Romano Pontifici, cum omnes sint oves Christi, omnes audire et fidem habere debent Romano Pontifici Christi vices in docendo gerenti. At si Deus voluit ut certam nos fidem haberemus supremo Pastori Christi in terris vicario, necesse est, ut eidem non errandi privilegium concesserit, alioquin incidere nos in errorem possemus, audiendo ac fidem praestando illi quem Deus audire et cui fidem adhibere nos jubet; errare ergo Deo obtemperando possemus, id vero dedecet quam maxime divinam providentiam: ergo ex ipso pastoris universalis, ac Christi vicarii munere privilegium non errandi deducitur, quia sine hoc privilegio finem Deus vellet sine mediis ad finem necessariis, quod cum Dei providentia pugnat. Quid vero, si id ex iisdem textibus Scripturae constet, quibus adversarii infallibilem Ecclesiam demonstrant? ex verbis illis *Matth. xvi: Porta inferi non praevalent adversus Ecclesiam*, errare, sive a recta fide deficere Ecclesiam non posse omnes theologi nostri argumentantur; neque id potest in dubium revocari cum in pluribus conc. generalibus ex verbis illis infallibile esse iudicium Ecclesiae comprobatum sit. At verba illa concessum a Christo Petro ejusque successoribus privilegium demonstrant; Petro enim ibi dictum est, ut supra vidimus: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et porta inferi non praevalent adversus eam*. Quinam vero est obvius horum verborum sensus, nisi iste:

(185) Huc spectant cl. Laurentii Veith dissertatio *De primatu et infallibilitate Romani Pontificis*, Augustae Vindelicorum 1781, celeberrimum opus D. Soardii *De suprema Rom. Pont. auctoritate*; Bolgenii hac de re disquisitio in libro citato p. 128,

Te, Petre, rectore, portae inferi non praevalent adversus Ecclesiam, hoc est, te servante, ac exponente depositum divinae revelationis, errare ac deficere Ecclesia mea non poterit. Equis enim dicat de Petro Christum locutum esse, cum dixit, *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, et ad Ecclesiam a Petro sustentatam, sive regulatam, atque directam, non pertinere verba quae statim sequuntur, *Et porta inferi, etc.*? Itaque si consentanei suis velint esse principis adversarii nostri, fateantur oportet Petro ejusque successoribus inerrantiae prerogativam fuisse concessam; episcoporum vero consensum nil aliud efficere posse, nisi testari in suis quoque Ecclesiis veritatem illam custoditam fuisse, quae infallibili Romani Pontificis iudicio, veluti a Deo revelata proponitur et credenda inculcatur. Quamobrem cum quaestio movetur de subiecto, in quo privilegium non errandi reperitur, extra Romanum Pontificem inquirere, ac invenire istud non possumus; cum Scriptura Petro ejusque successoribus promissum asserat, cumque vicario Christi, vel ex ipsa muneris dignitate debeatur. Magni sane fieri debet omnium, vel fere episcoporum consensus, in veritate aliqua veluti ex Deo revelata asserenda, cum testes ipsi quoque sint sacri divinae revelationis depositi Ecclesiae pastoribus concediti; sed infallibile iudicium, quo fidei dogma constituatur, Romani Pontificis auctoritate ferendum est. At haec sufficienter de Romano Pontifice. Vide auctores qui ex professo scripsere, praesertim viros cl. P. Orsi nunc eminentissimum cardinalem, P. Joannem Antonium Bianchi Minoritam in supracitato opere, atque P. Mamachi, tom. V *De orig. antiq. Eccl.* (185).

seqq., et insigne Gallicum opusculum a. jam 1768 vulgatum hoc titulo: *Essais du quatrième article de la déclaration du clergé de France assemblé en 1682*, quod nuper Italice redditum exiit Firmi.

APPENDIX

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA.

NEG NON

S. PŒNITENTIARIÆ RESPONSA,

PRO REBUS NOTATU DIGNIS JUXTA SERIEM VOCUM HUIUS QUINTI TOMI DIGESTA.

M

MATRIMONIUM.

DECLARATIONES SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII SUPER PUNCTO, QUIS DICATUR PROPRIUS PAROCHUS AD EFFECTUM VALIDITATIS MATRIMONII.

In una Romana 22 Februarii 1631, lib. XIV *Decretorum*, pagina 390, a tergo.

Romana nullitatis matrimonii, sacra, etc. censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti.

Vir et mulier a loco suae habitationis absque animo illam relinquendi discedentes, et ad locum alterius parochiae, solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi coram paroco illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per sac. congreg. declarari: « An hujusmodi matrimonium sit nullum, vel validum. »

Die 22 Februarii 1631, Sacra, etc. Secundum ea quae proponuntur, censuit esse nullum.

In una Urbinate. 1 Decembris 1640, lib. XVI *Decret.*, pag. 436, a tergo, et 437.

Urbinate. *Nullitatis matrimonii*, sacra, etc. Inhærendo declarationibus alias factis respondit, parochum ruralem non esse proprium, et verum parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis; ideoque matrimonium valide coram hujusmodi paroco celebrari non posse; partibus tamen dentur declarationes antiquae scilicet:

In una Florentina, sac. etc., censuit, quod parochus ruralis non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis.

In Florentina similiter, sacra, etc. respondit, parochum ruralem non esse proprium parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum.

In una Abulen., sacra, etc., censuit non

valere matrimonium contractum coram paroco loci, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium contrahendi.

In una Theatina matrimonii 13 Novembr. 1683, l. XXXIII *Decret.*, pag. 336, a tergo, et pag. 337.

Theatina matrimonii. Dominico Antonio Coradetto Civi Theatino, et Antoniae de civitate Pennarum incolis Theani matrimonium contrahere desiderantibus, assensum denegavit archiepiscopus, eo quod mulier debitas attestaciones status liberi non exhibuerit; quocirca praefati vir et mulier ad terram Faræ filiorum Petri nuncupatam, abbatis montis Casini subjectam se contulerunt, ibique per triduum commorati matrimonium celebrarunt coram paroco loci, praevia fide duorum civit. Theat. super eorum statu, et illico, nempe quarta die Theanum redierunt.

Hujusmodi facti serie inter supplices libellos relata in congregatione habita die 17 Julii proxime praeteriti, rescriptum fuit archiepiscopo, ut congruum terminum praetensis conjugibus assignaret ad eorum jura coram ipso deducenda, istaq. deinde una cum animi sui sententia referret, et interim dictos praetensos conjuges separaret.

Decreto paruit archiepiscop. At asserti conjuges in termino sibi praefixo nil aliud allegarunt, nisi eatenus ad dictam terram perrexisse, quatenus fuit sibi significatum, majorem illic experturos fore facilitatem contrahendi matrimonium, quod proinde censet minime sustineri.

Reliquum est igitur, ut eminentissimi PP. decernant.

« An matrimonium hujusmodi sit validum, vel potius nullum. »

Die, etc. Sacra, etc., respondit esse nullum.